

DE AESCHYLI EURIPIDIS ACCII
PHILOCTETIS

SCRIPSIT P. MELTZER.



BEIGABE ZUM JAHRESBERICHT
DES KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS ZU SCHNEEBERG
FÜR OSTERN 1907.



DRUCK VON C. M. GÄRTNER, SCHWARZENBERG.

1907. Progr. No. 685.

9SC
11 (1907)





Mytho Philoctetae, quem a Graecis cum Troiam proficiserentur viperae morsu ictum propter taetrum ex vulnere odorem in insula Lemno relictum decimo anno belli a Diomede in castra Graecorum reductum esse, cum sine eius auxilio Troiam capi non posse Helenus vates Troianus vaticinatus esset, in carminibus epicis Graecorum quae appellantur cyclica narratum erat¹, tragicorum poetarum Graecorum primus usus est Aeschylus. Post eum idem argumentum Euripides Sophocles Philocles Theodectes adhibuerunt. Philocles et Theodectis fabulas brevi tempore interisse verisimile est neque quicquam certi de iis scimus nisi quod Aristoteles² memoriae prodidit hunc cum a ceterorum institutione discreparet Philoctetam manu vulnerata in scenam produxisse. Philocles utrum ipse Philoctetam fabulam composuerit an Aeschyli avunculi tragoediam correctam iterum in certamen detulerit, id quod Quintiliano teste³ Athenienses posterioribus poetis permiserunt, dubium est.⁴ Diutius legebantur et servabantur Philoctetae trium principum tragicorum Graecorum Aeschyli Euripidis Sophoclis. Nunc cum una Sophoclis fabula Athenis olymp. 92,3 Glauclippo archonte acta⁵ servata sit, fabulae Aeschyli et Euripidis praeter fragmenta pauca⁶ eaque admodum vilia perierint, acceptissima nobis esse debet declamatio Dionis Chrysostomi,⁷ qui rhetor celeberrimus temporibus imperatorum Domitiani Nervae Traiani floruit. Qui cum revalesceret uno die Aeschyli Euripidis Sophoclis Philoctetas legit magnamque cum ex ea re voluptatem cepisset inter ipsas contulit. Quas etsi leviter neque eo modo, quo nunc talia disceptari solent, inter ipsas comparavit,⁸ tamen eius declamatio, cum unicus fere fons sit quo usi fabulas Aeschyli et Euripidis deperditas restituere possimus, nobis gratissima est.

Quod negotium cum viri satis multi iique doctissimi et artis philologae pertissimi suscepint, fore ut arrogantiae mihi tribuatur quod iterum eam quaestionem tractare audeo non spero. Nondum enim ea quaestio quae est de Philoctetis Graecorum poetarum fabulis ad finem perducta est,⁹ multa admodum ambigua sunt. Ego ut denuo eam tractarem commotus sum non quo sperare possem fore ut id mihi contingere quod illis non contigit, sed quia cum in haec studia incumberem magis magisque mihi persuasi non omnium rerum quas arcessi plurimum interest ab illis satis rationem habitam esse.

De Aeschyli Philocteta.

Dio Chrysostomus cum fabulas principum tragicorum Graecorum inter ipsas confert cui eorum si arbiter institutus esset palmam daret nescire se profitetur. At tamen quamquam certis verbis id non pronuntiat Aeschylum ab eo ceteris anteponi facile intellegitur. Cuius in tragoedia non solum simplicitatem et morum heroum et dispositionis et sublimitatem dictionis et ubertatem sententiarum laudat, sed etiam saepius Aeschylum contra vituperatores defendit, quorum in numero Euripides fuisse videtur, cuius tragoediam implicatam Aeschyli fabulae simplici contrariam fuisse iudicat. Sophoclem, quem medium inter illos locum obtinere dicit, laudat, neque vero laudibus tam insignibus eius tragoediam effert quam Aeschyleam, cuius ad fabulam, cum singulas inter ipsas confert, in primis animum advertere videtur. Ex iis quae de Aeschyli Philocteta Dio memoriae prodidit haec colligi possunt:

Ut Philoctetam Lemno in castra Graecorum reduceret apud Aeschylum Ulyses solus missus erat; qua de re poeta tragicus dissensit a Lesche Iliadis Parvae auctore, quem id negotium Diomedem suscipientem

¹ Procli chrestomathia; Welcker, Der epische Cyclus II, 238 ssq.; Neumann, Die Entwicklung des Philoktet-Mythus i. Programm Gymn. Coburg 1893, 2 ssq.; Gruppe, Handb. d. klass. Altert.-Wissensch. v. J. v. Müller V, 2, 671 et 684.

² Ethic. Nicomach. VII, 8, 1150b 9.

³ instit. orat. X, 1, 66.

⁴ cf. Ribbeck, Die römische Tragödie 376 ann. 3.

⁵ cf. didascaliam fabulae Sophocleae.

⁶ coll. Nauck, fragmenta tragicorum Graecorum ² nr. 249–257 (Aeschyli) et 787–803 (Euripidis).

⁷ or. 52: Ηερὶ Αἰσχύλον καὶ Σοφοκλέοντς καὶ Εὐγυλίδου ἡ περὶ τῶν Φιλοκτήτου τόξων.

⁸ G. Hermann, opusc. III, 113; defendit Dionem H. v. Arnim, Dio von Prusa 160 ssq.

⁹ Gruppe l. l. 684 ann. 5.

fecisse si non certum at tamen verisimillimum est.¹⁰ Ulixes, qui novem annis ante ipse Philoctetae auctor exsilii extiterat, quamquam forma non mutata in scenam producitur, tamen ab eo non agnoscitur, quam rem per se miram tanto annorum spatio intericto satis explicari Aeschylus putavit. Ut animum Philoctetae, quem ad id tempus non minore quam antea odio Graecorum inflammatum esse opinatur, sibi conciliet Ulixes dolo simplicissimo utitur nuntians Achaeos summa calamitate afflictos esse, Agamemnonem mortuum esse, Ulixem turpissime interisse, totum fere exercitum deletum esse. Qua narratione facta efficit, ut Philocteta summo gaudio affectus quod tanta miseria hominibus inimicissimis incidisset mitigetur et benigne ipsum recipiat. Novem annorum exsilium Philocteta, cuius morbus tanto annorum spatio intericto minime levatus erat, nullo comite pertulit, id quod Euripides cum credibile esse negaret Aeschyllo opprobrio dedisse videtur. Chorus fabulae Aeschyleae compositus erat ex incolis insulae Lemni, quibus quae sibi acciderint Philocteta enarrat.

Haec a Dione relata viliora sunt quam ut ex iis fabulam Aeschylus deperditam restituamus. Duas enim res aegerrime desideramus. Certiores non sumus Dionis verbis utrum Aeschylus in fabula Philocteta et Ulyssis solis actoribus usus sit an alias quoque personas adhibuerit. Neque utrum Philocteta in prioribus an in posterioribus fabulis Aeschylus ponenda sit comperimus. Neutra quaestio neglegenda est, cum utraque in fabula Aeschylea restituenda adiumento nobis esse possit. Quibus de rebus quamquam nihil certi videtur constare tamen nonnulla in Dionis declamatione inesse suspicor, quae inquirentibus nobis argumento esse possint Aeschylum numero personarum admodum parvo usum esse Philoctetamque in primis poetae tragoediis numerandam esse. De illa quaestione a viris doctis pauca neque ea argumentis probata prolati sunt, huius nemo mentionem fecit. Quod cum ne ego quidem necessarie possim demonstrare quoniam inter viros doctos constat Aeschylum alia aetate vitae alia tragoediarum componendarum ratione usum esse, et de illa personarum quaestione et de tempore, quo Philocteta Aeschylus acta sit, paucis disseram.

Duas personas ad fabulam agendum satis esse Hermann¹¹ et Welcker¹² assentiente Nauck¹³ negaverunt. Itaque fragmentis ex Accii Philocteta, quem poetam Romanum exemplum Aeschylus secutum esse suspiciunt, adhibitis in initio fabulae cum Ulyssis Minervam in scenam prodisse eique praecipisse putaverunt qua ratione uteretur, ut Philoctetam secum Troiam abduceret. Cuius rei argumenta afferre non potuerunt neque id initium fabulae fuisse probabile est; in primis Accium ad fabulas Graecorum poetarum restituendas minime adhibendum esse censeo, cum neque omnia, quae ad eius fabulam pertinent, perspicua sint neque quem poetarum Graecorum in tragoedia componenda secutus sit constet.¹⁴ Ulixi ne a Philocteta agnosceretur auxilio Minervae opus non fuisse cum Dio verbis certis pronuntiaverit, credibile esse nego deam ut eum adiuvaret in scenam ab Aeschylus productam esse. Praeter Minervam Hermann Eurybatem praeconem Ulyxis induxit, quem Philoctetae abducendi causa solum Lemnum venisse verisimile non esse arbitratus est. Neque vero cuiquam haec sententia probata est, cum ex Dionis verbis plane intellegatur apud Aeschylum nullo comite Ulyxem usum esse. Welcker, qui in extrema fabula Herculem ab Aeschylus productum esse suspicatus est cum nisi deo interveniente Philoctetae persuaderi posse negaret ut cum Graecis animum conciliaret, Ulyxem quasi duas personas in Aeschylus fabula egisse coniecit. Neumann Ulyxem et Philoctetam solos a poeta productos esse putavit.

Quam quaestionem quae de personis fabulae Aeschyleae est ad Philoctetam restituendam plurimi momenti esse haud scio an nemo negaverit. Neque vero eam diuidicare poterimus nisi ea, quae de fabula Sophoclis Dio memoriae prodidit, examinaverimus cum querendum sit quatenus ei fides habenda sit. Comparantibus autem ea quae de Sophocle dixit cum tragoedia servata concedendum nobis est Dionem aliqua diligentia Philoctetae Sophocleae argumentum enarravisse. Omnium rerum suo ordine mentionem fecit omniumque personarum nomina protulit neque nisi Hercule intercedente Philoctetam ut Neoptolemum sequeretur non commotum esse non commemoravit. De una re verba non fecit: de eo actu nihil disseruit, quo speculator ille mercatoris ueste indutus iussu Ulyxis procedit, ut fictis narrationibus Philoctetae persuadeat ut Neoptolemo se mandet.¹⁵ Quod ea de causa Dionis fidei obtrectemus non habemus;

¹⁰ Cf. de hac re Schneidewin, Philologus IV, 647 ssq.; Neumann I. 1. 4 ssq.; Gruppe I 1. 684. Diomedem et Ulyxem una Lemnum venisse ut Philoctetam arcesserent in carminibus quoque epicis narratum fuisse haud scio an recte non coniecerint Welcker I. 1. 238 et Wecklein, Über die Stoffe und die Wirkung der griechischen Tragödie, Festrede vom 14. XI. 1891, München p. 7.

¹¹ De Aeschylus Philocteta dissertatio = opusc. III, 113 ssq.

¹² Philoktetes oder Ilions Zerstörung = kl. Schrift. IV, 180 ssq.

¹³ Praef. ad edit. Philoctetae Sophoclis 18.

¹⁴ cf. infra pag. 13.

¹⁵ Soph. Phil. v. 542 ssq.

etenim ille tragoediae actus ad exitum tragoediae explicandum non tanti momenti esse videtur, ut eum commemorari necesse fuerit; mercatoris illius partes secundae sunt. Omnia igitur rerum maximarum Sophoclis de fabula disserentem Dionem mentionem fecisse cum concedamus, nonne eandem fidem de Aeschylo ei tribuamus necesse est, praesertim cum ad huius fabulam praecipue animum eum advertisse appareat? Demonstrari non potest ab Aeschylo praeter Philoctetam et Ulixem alias personas in scenam productas esse. Numero igitur personarum admodum exiguo in Philocteta fabula usus est. Fortasse partes quaedam duci chori datae erant.

Quoniam Aeschylum in fabula duas personas agentes fecisse demonstravimus, nihil obstat quominus Philoctetam in prioris aetatis tragoediis numeremus. Tres enim personas Aeschylus inter eas fabulas, quae servatae sunt, induxit in Supplicibus: Danaum, Argivorum regem, Aegyptiorum praeconomem. Quattuor personae sunt in Persis: Atossa, nuntius, Darei umbra, Xerxes. Hanc fabulam olymp. 76, 4 Menone archonte actam esse ex didascalia intellegitur, illam earum fabularum Aeschyli, quae aetatem tulerunt, primam actam esse nunc viri docti opinantur.¹⁶ Utraque fabula ita composita est, ut partes a duobus histrionibus agi possint, utriusque dispositio simplicissima est. Philoctetam, in qua fabula duo aut summum tres personae inductae erant cuiusque dispositionem simplicissimam fuisse Dio certis verbis testatur, Supplicibus et Persis adiungendam isdem fere temporibus quibus illas tragoedias productam esse nonne probabile est?

Philoctetam Aeschyli prioribus fabulis addere non dubito atque etiam ante Supplices et Persas actam esse confirmaverim. Etenim cum Welcker¹⁷ Aeschylearum fabularum indice exhibito suspicatus esset Philoctetam cum aliis tragoediis trilogiae cuiusdam vinculo coniunctam fuisse, cui trilogiae has fabulas attribuit: Lemnios sive Philoctetam, Philoctetam Troianum, Phrygios sive Persidem, gravissimis argumentis Nitzsch¹⁸ demonstravit eam sententiam veram minime esse; neque enim ulla vestigia extare, quibus Philoctetam Troianum ab Aeschylo compositum esse doceremur, neque fieri posse ut Philocteta Lemnios prima pars trilogiae esset, immo eam tragoediam solam actam esse. Aeschylus vero postquam alterum histrionem induxit primus arte admodum perfecta tres tragoedias, quarum argumentum ex eodem mytho sumptum erat, trilogiae vinculo coniungendi usus esse ceterisque poetis tragicis persuasisse videtur, ut exemplum suum sequerentur.¹⁹ Neque vero ab initio ea ratione perfecta eum usum esse verisimile est, sed priusquam eam legem perferret priorum tragicorum more singulas tragoedias in certamen detulisse. Lege autem perlata eum ad veterem tragoediarum componendarum rationem non redisse manifestum est neque eum Sophoclis exemplum secutum ita trilogias fecisse, ut singulas fabulas nulla argumenti unitate iunctas copularet, vel ea re demonstratur quod ii poetae tragici, qui in primis Aeschyli imitatores putantur, etiam posterioribus temporibus trilogias Aeschyleas fecerunt, velut Philocles Pandionida et Meletus Oedipodiam composuerunt. Tragoedias igitur Aeschyli eas, quae trilogiae partes non fuerunt, prius actas esse quam ceteras trilogiae vinculo coniunctas probabile est. Quae cum ita sint, ante Supplices et Persas, quas fabulas trilogiae partes fuisse manifestum est, Philoctetam ab Aeschylo factam esse affirmo.

Quoniam Philoctetam in primis fabulis Aeschyli ponendam esse censui, nulli eorum qui adhuc tragoediam restituere conati sunt assentiri possum. Neque Hermanno aut Welckero in principio tragoediae Minervam cum Ulyce in scenam prodisse prologumque, quo eum de insulae Lemni natura certiorem faceret et ad id quod agendum esset adhortaretur, egisse concedo neque Neumann Philoctetam ipsum prologum egisse desideriumque patriae pronuntiavisse mihi persuasit; qui cum loco illo celeberrimo Ranarum Aristophanis v. 1383, quo Aeschylus et Euripides singulos versus lancibus imponentes producuntur, Euripides primum Medeae fabulae versum

Εἴθ' ὄφελ' Αργοῦς μὴ διαπτάσθαι σάρκος

recitaret, Aeschylum primum Philoctetae versum (frgm. 249)

Σπερχεὶ ποταμὲ βούρωνοι τ' ἐπιστροφαῖ

attulisse putavit. Immo similiter atque in Supplicibus Persisque prologo, quem Aeschylus in posterioris aetatis fabulis adhibuit, neglecto chororum Lemniorum parodum egisse puto. Qua causa Lemnii ut in desertam insulae partem, in qua Philocteta per novem annos omnis hominum consuetudinis expers vixerat, se conferrent commoti sint nescimus; eam rem explicare supervacaneum esse Aeschylus putavit.

¹⁶ Christ, Handb. d. klass. Altert.-Wissenschaft. VII², 180.

¹⁷ I. l. 180.

¹⁸ Sagenpoesie der Griechen 644 ssq.: Philoktet als Beispiel nicht trilogischen Stoffes behandelt.

¹⁹ Bergk, Griech. Litter. Gesch. III, 229 ssq.

Neque quicquam certi constat quid caterva Lemniorum in scenam prodiens cecinerit. Lemnios loca patriae et delubra Cabirorum et templa Vulcani descripsisse et sacras insulae res celebravisse versibus nonnullis ex Accii Philocteta servatis collatis Ribbeck²⁰ coniecit. Qui versus cum aptissime Lemniis tribuantur et talia ab ingenio Aeschyli minime aliena esse constet, quem saepius res ad geographiam pertinentes fabulis inseruisse notum est, eius sententiae assentiri non dubito, quamquam Accium exemplum Aeschyli secutum esse argumentis certis demonstrari non potest. Liceat versus hic repetere (Trag. Rom. frgm. coll. Ribbeck p. 173 nr. II add. inc. fab. XXXVII):

Lemnia praesto
litora rara, et celsa Cabirum
delubra tenes, mysteria quae
pristina castis concepta sacris
nocturno aditu occulta coluntur
silvestribus saepibus densa.

* * *
Volcania iam tempa sub ipsis
collibus in quos delatus locos
dicitur alto ab limine caeli.

* * *
Nemus expirante vapore vides
unde ignis cluet mortalibus clam
divisus: eum dictus Prometheus
clepsisse dolo poenasque Jovi
fato expendisse supremo.

Post parodum chori Philoctetam ipsum aut de venatu redeuntem aut cupiditate visendi inductum qui illi essent qui tanto spatio annorum interiecto ad se venirent ex antro prodeuntem cum choro verba fecisse verisimile est. Quibus altius repetens more aegrotorum quae sibi accidissent narravit. Viperae morsu vulneratum se cum somno captus esset a Graecis in loco insulae deserto expositum esse (frgm. 250),

Ἐνθ' οὐτε μύμειν ἄνεμος οὐτε πλεῖν ἔη,

neque quicquam sibi relictum esse nisi arma ab Hercule quondam accepta, cum in Oeta monte rogam eius incendisset. Fortasse hoc spectat frgm. 251

Ζευμαστὰ τόξα πίπος ἐκ μελανδρίου.

Morbum suum viperae morsu excitatum tanta annorum serie intermissa levatum non esse, immo vehemensissimis ex pede doloribus se corripi his verbis pronuntiavit (frgm. 252 et 253):

*οἱ γὰρ δακὸν ἀγῆκεν, ἀλλ' ἐνόρκισε
δεινήν στομοτὸν ἐσχρύν ποδὸς λαβέον.
φαγέθειναν, η μον σάρκας ἐσθίει ποδός.*

Quibus verbis quin acerbissimas execrations Graecorum, in primis Atridarum et Ulixis, quos praecipios malorum auctores putaret, inseruerit dubium non est. Lemnii misericordia miserrimi induci se ei ad fore promiserunt consolatiique praedicaverunt fore ut brevi malis liberaretur.

Deinde Ulices forma non mutata prodiit neque a Philocteta agnitus est. Cui quae fallendi causa commentitus erat enarravit: Res Graecorum male se habere; Agamemnonem mortuum esse, Ulixem turpissime interisse, totum fere exercitum deletum esse; aegre ex caede se effugisse. Qua narratione ficta Philocteta, cuius odium Graecorum summum erat, maximo gaudio affectus est et exultavit, quod tanta miseria inimicissimis sibi hominibus incidisset, et benigne illum, cuius dolis se circumveniri non sensit, invitavit ut vitae sua particeps fieret, dum ipsis in patriam reverti liceret.

Neque vero Ulixi satis erat a Philocteta hospitio recipi, immo omni modo studendum id erat, ut eum secum Troiam abduceret. Quod si efficere voluit Philoctetam certiore facere debuit falsa se ei narravisse de rebus ad Troiam gestis; cui rei ut fidem adderet se suaque consilia ei aperire debuit. Cum vero Philoctetae odium Graecorum et ipsius quantum esset haud ignoraret, priusquam quis esset quidque agens Lemnum venisset pronuntiaret, aliquo modo armis illius potiretur necesse erat. Etiam apud

²⁰ I. I. 380: Vielleicht hat Accius diese Beschreibung im wesentlichen aus der Parodus des Aeschylus entlehnt, der geographische Exkurse liebte.

Aeschylum ut apud Euripidem et Sophoclem Philoctetam armis privatum esse Dio certis verbis dixit. Dionem non satis diligenter de raptu sive furto armorum verba facere nihil refert, cum constet ea aliquo modo Ulixi tradita esse. Simili ratione atque Sophoclem etiam Aeschylum vehementissimo morbi impetu Philoctetam corripi fecisse cum ex duobus fragmentis intellegatur (frgm. 254 et 255)

ὅ ποίεις ἀργόσω σε . . .
ὅ θύνατε Παιάν, μή μ' ἀτιμάσσῃς μολεῖν
μόνος γὰρ εἰ σὸν τῶν ἀνηκεστῶν κακῶν
ἰατρός, ἄλγος δ' οὐδὲν ἀπτεῖαι νεκροῦ;

tum Ulixis in manus arma venisse verisimile est. Philoctetam cum morbum ingruere sentiret arma ex pinu suspendisse et ab Ulixe petisse ut dum expurgiceretur servaret Wecklein²¹ coniecit. Probabilius esse mihi videtur Philoctetam ipsum arcum et sagittas Ulixi cum fide tradidisse. Deinde hic, cum ille morbi vi correptus dormiret, Lemnios de vero consilio certiores fecit et oravit ut se adiuarent. Cum vero Philocteta experrectus ut arma redderet ab eo postularet, recusavit quominus petenti obsequeretur. Cui arbitrato deceptum se esse ab eo cum fidem tantam habuissest Ulixes quis esset professus persuadebat ut ira mitigata secum Troiam proficiseretur. Philocteta primo cum inimicissimi viri insidiis circumventum se esse cognosceret eum secuturum se esse negavit, dum Ulixi πειθοὶ ἀναγκαῖα contingere ut eius odium Graecorum leniret. Atque cum falsa se ei narravisse profiteretur neque sua ipsius culpa eum expositum esse demonstraret, sed ex deorum voluntate id factum esse, fore ut eius morbo Machao medicus mederetur pronuntiavit. Helenum vatem Trojanum insidiis captum vaticinatum esse Troiam capi non posse nisi Graeci Philoctetam Lemno arcessivissent. Itaque se Lemnum venisse ut ab eo peteret ut odio dimisso voluntati deorum obsequeretur et Graecis auxilio veniret et Trojanos malorum auctores praecipuos ulcisceretur. Denique Philocteta gravibus verbis Ulixis commotus est, ut cum Graecis animum conciliaret. Ad Aeschylum optime quadrare puto verba haec Dionis: πλὴν ἀφαιρούμενος γε τῶν ὅπλων ἦν Φιλοκτήτης ἐπὶ τοῦ Ὀδυσσέως καὶ αὐτὸς εἰς τὴν Τροίαν ἀναγόμενος, τὸ μὲν πλέον ἔκσων, τὸ δὲ καὶ πειθοὶ ἀναγκαῖα, ἐπειδὴ τῶν ὅπλων ἐστέρητο, ἡ τοῦτο μὲν βίον αὐτῷ παρετχεῖν ἐν τῇ νήσῳ, τοῦτο δὲ θάρρος ἐν τῇ τουατῇ νόσῳ, ἥμα δὲ εὔχλειαν. Summa cupiditate inflamatus gloriae adipiscendae et in spem adductus patriae recuperandae deos patrios cum his verbis imploraret (frgm. 249):

Σπερχετὲ ποταμὲ βούνομοι τ᾽ ἐπιστροφαῖ

ad navem cum Ulixe se descensurum esse promisit. Dei intervenientis auxilio opus non erat.²²

In ipso fine fabulae cursum qui navi tenendus esset sive chorum sive deum quempiam explicavisse Hermann putavit. Eum exitum tragoeiae fuisse verisimile non est; immo cum ad navem descederet alternis versibus Philoctetam et chorum benevolentiam et benignitatem deorum fortunam quoque adversam bene vertentium celebravisse suspicor.

Eam dispositionem fabulae Aeschyleae fuisse quamquam arbitror, tamen multa incertissima esse concedo. Id quidem ex iis quae Dio memoriae prodidit intellegitur Aeschylum in Philocteta simpliciter res explicavisse neque longe ab epicorum Graecorum exemplo abisse.

De Euripidis Philocteta.

Euripidis Philoctetam, quam fabulam olymp. 87,1 Pythodoro archonte una cum Medea Dictye Theristis actam esse didascalia Aristophanis grammatici ad Medeam docemur, Aeschyli Philoctetae contrariam esse Dio iudicavit. Cuius fabulae cum simplicitatem et sublimitatem et gravitatem laudaret, illam tragoeidiam implicatam esse maximeque id studuisse Euripidem memoriae prodidit, ne quid incredibile inesset in fabula neve neglectum esse videretur. Neque simpliciter poetam rebus usum esse, sed summa dicendi vi, ut iis qui arti rhetoricae studerent eius tragoeidia summo usui esset.²³ Prologum agentem Ulixem eum fecisse,

²¹ Stoffe und Wirkung 8.

²² cf. Dionem: καὶ μὴν ἡ τοῦ Ὀδυσσέως πρὸς τὸν Φιλοκτήτην ἀπέτη καὶ οἱ λόγοι, διὸ ὃν προσηγάγετο αὐτόν, οὐ μόνον εὐσχημονέστεροι καὶ ἥρωι πρέποντες . . . ἀλλὰ . . . καὶ πιθανότεροι.

²³ cf. Quint. inst. orat. X, 1, 67: Illud quidem nemo non fateatur necesse est iis qui ad agendum se parant utiliorem longe fore Euripidem.

qui multa de indole hominum et ipsius natura proferret²⁴ totiusque fabulae argumentum enarraret. Diomede comite eum Lemnum venisse formamque eius ne a Philocteta agnosceretur a Minerva mutatam esse. Philoctetae odium cum Graecorum tum Ulixis maximum esse. Troianos quoque legatos Lemnum venisse, qui magnis pollicitationibus Philoctetam commoverent, ut Troiam ipsos secutus ab interitu defenderer. Neque Philoctetam exsiliū novem annorum omnis hominum consuetudinis expertem pertulisse, sed saepius ad eum venisse unum ex Lemniis incolis nomine Actorem, quem, quamquam Euripides eum pastorem induxisse verisimile est, posteriores poetae regem insulae Lemni appellaverunt.²⁵ Chorum fabulae Euripideae compositum fuisse ex Lemniis, qui in scenam prodeentes apud Philoctetam se excusavissent, quod tanta annorum serie eum neque visitavissent neque adiuvissent.

Quae cum de fabula Euripidea Dio Chrysostomus proferat, multa tamen incertissima sunt. Quibus personis Euripides in fabula usus sit constat, quas partes ii egerint dubium est, neque quem ordinem singulorum tragoeiae actuum poeta secutus sit certe demonstrari potest. Actorem illum pastorem Lemnium personam fictam fuisse neque illas in tragoeia partes egisse Wecklein contendit²⁶, neque tamen argumenta satis gravia quibus opinionem probaret proferre potuit. Etenim Actorem saepius secum convenisse Philoctetam ipsum Lemniis narravisse probabile esse nego; nonne verisimilius est Actorem, cum indigenas de peregrino illo homine certiores faceret, tandem assecutum esse ut Lemnii illius visendi causa advenirent? Itaque Actorem veram tragoeiae personam fuisse affirmo, neque vero qua in parte fabulae productus sit dijudicare licet. Utque haec quaestio, quae de Actore extat, ambigua est eritque, ita multa alia sunt, quae iis subsidiis quae nobis sunt disceptari non possunt. Totam fabulam Euripideam ut restituamus minime fieri potest, satis habemus cognoscere qui singulorum actuum processus fuerit.

Quae cum ita essent opportunissime accidit, quod Dio praeter declamationem laudatam alteram orationem scripsit, qua eum argumentum prologi fabulae Euripideae tam effuse enarravisse iam dudum viri docti intellexerunt ut praeter versus ipsos nihil desideraremus.²⁷ Qua de re cum adhuc omnes qui ei quaestioni studuerunt consenserint, nunc quidem non deesse videntur, qui dubitent num ea paraphrasis quam dicimus ad Euripidis prologum spectet.²⁸ Comparantibus vero ea, quae in oratione 52 de prologo Philoctetae Euripidis Dio memoriae prodidit, cum paraphraseos verbis concedendum est utraque declamatione de eadem re eadem proferri; accedit quod nonnullis fragmentis ex Euripidis tragoeida servatis plane demonstratur Dionem ad verbum fere Euripidis versus metro soluto repetisse, ut dubitari non possit quin prologus fabulae in illa declamatione insit.

Prodiit igitur in scenam Ulices forma a Minerva mutata et haec fere dixit: Timere sese ne falso a Graecis sapientissimus et optimus putaretur. Cum enim sibi liceret in otio vitam degere semper summa pericula pro communi salute se suscipere (frgm. 787):

*πῶς δὲν φρονοίην φέ πασην ἀπραγμόνως
ἐν τοῖσι πολλοῖς ἡρωιδιμένω στρατοῦ
ἴσον μετασχετεῖ τῷ σφρωτάτῳ τύπῃ;*

Omnium ambitiosissimos esse homines maximoque in honore esse eos, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contendere viderentur (frgm. 788):

*οἵδεν γὰρ οὕτω γεννοούσις ἀνήρ ἔγει.
τοὺς γὰρ περισσοὺς καὶ τι πρασσοντας πλέον
τιμῶμεν ἄνδρας τὸν πόλει νομίζομεν.*

Se quoque qua esset cupiditate laudis adipiscendae in eorum numero esse qui nova pericula subirent, ne gloria rebus prius gestis parata obsolesceret (frgm. 789):

*ὄχνον δὲ μόχθων τῶν ποιῶν ἐκχέαι γάριν
καὶ τοὺς παρόντας οὐκ ἀποθόναι πόνον.*

Tum quoque Lemnum se venisse ut negotium difficillimum et periculosissimum transigeret. Helenum enim vatem Trojanum insidiis captum vaticinatum esse sine Philocteta et armis Herculis, quae is teneret,

²⁴ Welcker, Die griechischen Tragödien mit Rücksicht auf den epischen Kyklos geordnet 512: Odysseus als Prolog gebraucht einen Eingang, der auch einem athenischen Staatsredner hätte dienen können.

²⁵ Hygin, fab. 102.

²⁶ Stoffe und Wirkung 12: Man darf nach Dio den Aktor nicht für eine Person des Dramas halten; denn für das Auftreten desselben ist an keiner Stelle der Handlung ein geeigneter Platz.

²⁷ orat. 59: *Φιλοκτήτης.*

²⁸ cf. Marx, Philoktet-Hephaistos i. Neue Jahrb. f. d. klass. Altert. 1904, VII, 680.

Troiam capi non posse. Cuius reducendi causa se adesse, cui ipse novem annis ante auctor exilii fuisse. Primo quidem cum quantum Philoctetae in se odium esset non ignoraret id negotium suscipere se dubitavisse, dum Minerva per somnum sibi visa se adhortaretur, ut bono animo Lemnum proficiseretur. Fretum auxilio deae, quippe quae pollicita esset se ipsius formam ne a Philocteta agnosceretur mutaturam esse, se adesse. A Phrygibus quoque haud nesciis quantum odium Philoctetae Graecorum esset legatos missos esse, qui magnis eum donis commoverent, ut Troiam ipsos sequeretur et urbem ab interitu defendereret. Maxime igitur id sibi studendum esse, ut illum prohiberet cum Trojanis animum conciliare, ne totum bellum a Graecis frustra gestum esset.

Quae cum Ulixes dixisset, procul Philoctetam pellibus ferarum indutum morbo diutino deformatum claudum altero pede accidentem vidit et Minervam imploravit, ut fidem datam praestaret. Philocteta admiratus quod virum sibi ignotum aspiceret et veritus ne ille aut praedandi aut sui irridendi causa venisset ex eo quis esset sciscitatus est. Vix autem comperit eum ex Graecis Troiam profectis unum esse, cum arcum intendit, ut sagittis eum perfoderet. Aegre Ulixi contigit ut Philoctetam summa ira incensum mitigaret; se quoque cum Graecis tum Ulixi inimicissimum esse narravit, a quo summam iniuriam accepisset. Falso ab eo Palamedem proditionis accusatum et a Graecis interfectum esse neque prius Ulixem, pestem illam totius Graecorum exercitus, acquievisse quam omnes eius comites trucidarentur. Aegre se ex caede effugisse et clam noctu Lemnum venisse; obsecrare et obtestari se illum ut se reciperet dum occasio domum revertendi daretur. Philocteta ab eodem viro nefario summam iniuriam se accipere meminit: cum praedictum esset fieri non posse ut Graeci Troiam caperent nisi in Chrysae nymphae ara victimas cecidissent, se iis ubi illa ara sita esset demonstrasse, in qua ipse cum Hercule Troiam profecto immolavisset; tum viperae illam aram custodientis morsu vulneratum et Ulike auctore a Graecis in insula Lemno se relictum esse. Misericordia illius commotus eum invitavit ut, vitae suae particeps fieret, petivitque ab eo, ne tristi horridoque ipsius aspectu aut taetro domicilio deterreretur (frgm. 790):

δέξμορφα μέντοι τάρδον εἰςιδεῖν, ξένε.

Morbi vim, cum initio perferri vix posset, tot annis interiectis minutam esse, tamen interdum vehementissimis doloribus se corripi. Fortasse huc spectat frgm. 792:

φαγέδαιναν, ἡ μον σάρκα θουτάται ποδός.

Tum in antrum abierunt.

Quae omnia cum plana sint unam rem desideramus. Wecklein²⁹ suo iure offendit quod Ulixes prologum agens mentionem Diomedis, quo eum comite usum esse Dio orat. 52 dixit, non fecisset. Diomedem in fabula Euripidea partes secundas egisse ex scholio ad versum primum Philoctetae Sophoclis intellegitur. Cum vero is quoque, cum Philoctetae odium omnium Graecorum maximum esset, mutata forma produceretur necesse esset, fieri non potuit quin in prologo de eo verba fierent iisque qui spectabant quas ille partes ageret docerentur. Ulixem, priusquam Philocteta prodiret, Diomedem ad navem remanere iussum esse spectatores certiores fecisse probabiliter Wecklein coniecit.

Aliam de prologo fabulae Euripideae quaestionem Ribbeck movit, apud quem l. l. 383 scriptum legimus: Damit ist aber noch nicht ausgemacht, dass bei dem Tragiker die beiden paraphrasierten Scenen wirklich unmittelbar so aufeinander folgten. Dem Sophisten kam es nur darauf an die pikante Situation der Begegnung des Odysseus mit seinem Todfeinde zu fixieren. Ging dieser bei Euripides eine Unterredung mit Aktor . . . voraus, so konnte er diese als für seinen Zweck entbehrlich, ja störend überspringen, ohne an seiner Unterlage übrigens etwas ändern zu müssen. Neque vero cum duas partes prologi Dionis paraphrasi relatas diversis ex actibus fabulae a rhetore in unam contractas esse putaret, eorum qui post eum de Philocteta Euripidis disseruerunt, assensum tulit. Nam Wecklein³⁰ annotavit: Der Übergang bei Dio trägt so sehr dramatisches Gepräge, dass eine Trennung beider paraphrasierten Stücke nicht mit Ribbeck anzunehmen ist. Accedit quod in orat. 52 Dio rettulit Lemnios statim i. e. cum parodum agerent apud Philoctetam se excusavisse quod ad id tempus nullam illius rationem habuissent. Philocteta igitur cum chorus in scenam prodiret adfuerit necesse est. Itaque cum fieri non possit, ut intra prologum et chori parodum alias tragediae actus intercesserit, prologi partes minime disiungendae sunt.

Qui post parodum chori processus actionis fuerit maximus inter viros doctos dissensus est.

²⁹ Über fragmentarisch erhaltene Tragödien des Euripides i. Sitz. Ber. d. Bayr. Akad. phil. hist. Kl. 1888, I, 129 et Stoffe u. Wirkung 10.

³⁰ Sitz. Ber. 127.

Welcker³¹, cum Ulixem non solum advenisse sed Diomede comite usum esse constaret, hunc ab initio insidiis abditum fuisse arbitratus Ulixi aliqua ratione contigisse putavit, ut Philoctetam morbi impetu vehementissimo victum armis privaret; tum Trojanorum legatos venisse, qui Philoctetam Troiam arcesserent; quibus Ulixem contradixisse et Philoctetae persuasisse, ut eorum preces repudiaret, denique cum arcum manibus teneret neque Philoctetae odium timeret, ipsum quis esset confessum esse vaticinioque Heleni nuntiato Philoctetam commovisse, ut iram suam Graecorum leniret et cupiditate pugnandi inflammatus ad navem secum descendenter. Hartung³² post prologum statim Trojanorum legatos productos a Philocteta Ulike auctore repulsam tulisse arbitratus est; deinde cum Philoctetae morbi impetus certo tempore recurrere soleret, Actorem Lemnum ne aegrotanti deesset prodisse; Philocteta collapso Ulixem Actori quis esset quidque vellet aperuisse eumque ut conata sua adiuvaret obsecravisse; arma in Ulixis potestatem venisse et Actorem audaciam eius mirantem de processu coepitorum Diomedem ad navem relictum certiore fecisse; Philocteta ex parte hunc accessisse et aperte professum esse a Graecis ad eum reducendum se missum esse; denique ei contigisse ut Philoctetam mitigatum secum ad navem duceret. Petersen³³ Ulixem a Philocteta invitatum ut vitae suae particeps fieret ad certamen hunc scopo definito provocavisse cumque arcum manibus teneret nomen professum et hortatum esse ut Troiam se sequeretur; repudiatum a Philocteta eum abisse minantem se cum Diomede redditum et per vim illum abductum esse; venisse deinde legatos Phrygum, tamen a Philocteta ipso adversus barbaros universi populi Graeci rem defendantem repudiatos esse, praesertim cum Ulices cum Diomede rediens partes Graecorum ageret; neque vero Ulixi contigisse, ut Philoctetam oraculorum inter se contradictum vanitatem monstrantem commoveret ad animum cum Graecis reconciliandum, dum deus qui dicitur ex machina salutem et victoriam Philoctetae praenuntians intercederet eumque adhortaretur, ne deorum voluntati resisteret. Nauck³⁴ de Philocteta Euripidea nihil fere protulit nisi de prologo et de eo actu, quo inter Trojanos et Ulixem cui Diomedes dicitur adesse certabatur; ad finem fabulae Minervam Philoctetae fore ut eius morbo mederetur et ingentem gloriam adipisceretur pollicitam ut in castra Graecorum rediret persuasisse putavit. Amplius de Euripide egit Wecklein³⁵: parodo acta legatos Trojanorum prodisse qui Philoctetam ipsis conciliarent; quorum spem ad irritum cecidisse, cum Ulices intercedens communem Graecorum rem contra barbaros defenderet et Philoctetae persuaderet ut eos repudiaret; deinde Diomedem mercatoris veste indutum venisse et promisisse se utrumque domum reductum esse; cum ad illius mercatoris navem descendere pararent, Philoctetam vehementissimis pedis doloribus correptum ne procederet impeditum esse; cuius vulnus cum Ulices curaret, Diomedem arcu potitum esse; tum Ulixem quis esset professum a Philocteta petisse ut irae moderaretur, tamen repulsam tulisse; denique Minervam quae Ulixi se adfore pollicita esset intercessisse et Philoctetam Troiam ire iussisse. Neumann³⁶ Philoctetam morbi impetu victimum a Diomede, cum Ulices crus teneret et alligaret, arcu privatum esse suspicatus est; priusquam vero legati Phrygum advenirent, illum aliqua ratione arma recuperavisse; tamen Ulixis opera Trojanos repudiatos esse, cum ille nomen pronuntiaret et summo barbarorum odio Philoctetam impletum tanta pugnandi et gloriae adipiscendae cupiditate incenderet, ut sua sponte in gratiam cum Graecis rediret.

Quarum sententiaram a viris doctis prolatarum cum nulla ita placeat ut eam omni a parte probem, quae ad fabulam restituendam animadvertisca sint denuo quaeram. Primum quidem Diomedem ab Euripide mutata forma inductum esse Wecklein recte conieciisse supra dixi, cum Philoctetam, quo erat omnium Graecorum odio, ne ei quidem temperaturum fuisse si agnoscisset manifestum esset. Atque sunt quaedam quibus probetur Diomedem mercatoris veste usum processisse qua de causa, quae de ea re Wecklein protulit, repetere licet. Ulixem profitentem se noctu Graecorum insidias clam effugisse nave parva Lemnum venisse necesse est. Cum vero id animo ageret, ut Philoctetam secum Troiam duceret, maiore nave ei opus erat. Navigandi autem occasionem non habuisset, nisi Diomedem ad navem remanere et in tempore adesse iussisset. Id igitur negotium Diomedi datum erat, ut falsis promissis Philoctetam ad se alliceret et ad navem duceret et deceptum Troiam veheret. Quae cum ita essent Diomedes mutata forma prodierit necesse est, ne inimicorum insidiis circumveniri se Philocteta ab initio sentiret. Mercatoris igitur veste indutum eum productum esse probabilissime Wecklein coniecit ex fragmento docte correcto 793:

*μαχάριος ὅστις εὐτυχῶν οἴζοι μένει·
ἐν γῇ δόθος, κοῦ πέλιν ναυτίλλεται.*

³¹ I. l. 516 ssq.

³² Euripides restitutus I, 353 ssq.

³³ De Philocteta Euripidea, diss. Erlangen 1862, 11 ssq.

³⁴ I. l. 19.

³⁵ Sitz.-Ber. 130 ssq. et Stoffe u. Wirkung 9 ssq.

³⁶ I. l. 15 ssq.

Haec pronuntiantem Diomedem in scenam prodisse, cum ad insulam tempestate delatum se esse diceret et si incolumis domum revertisset numquam pericula navigandi subitum se esse voveret. Ita occasio Philoctetae falsis promissis ad navem alliciendi data est neque dubito quin Wecklein ita Euripidem instituisse rem recte coniecerit. Apud Sophoclem simili ratione speculatorum nautae veste indutum produci mirum esse non potest, cum tragicos poetas posteriores saepius ad priorum exempla redisse eorumque bene inventa adhibuisse constet. Quia in parte fabulae Diomedes in scenam prodierit plane demonstrari cum non possit, id tamen contendo Phrygibus et Ulixe apud Philoctetam certantibus eum in scena non fuisse, cum quattuor histriones tragicis Graecorum poetis praesto non fuerint. Aut priusquam Troiani processerunt aut postquam abierunt Diomedes productus est.

Aliqua ratione Ulixi contigisse ut armis Philoctetae potiretur Dio cum certis verbis manifestum est: *ἢν γέρο ή τὸν Φιλοκτήτον τόξων εἴτε χλοπίν εἴτε ἀσταγὴν δεῖ λέγειν.* Philoctetam vero priusquam Trojanorum legati advenirent armis privatum esse, id quod Welcker et Petersen putaverunt, verisimile non est, cum Trojanorum plurimum interfuerit necesse sit Philoctetam cum armis Herculis secum Troiam ducere; armis si privatus erat, quid eo certamine verborum opus erat? Accedit quod nonnullarum urnarum Etruscarum imaginibus caelatis³⁷ Philoctetam Trojanis praesentibus arma manu tenere plane demonstratur. Quas imagines cum ad Sophocles Philoctetam spectare Brunn (p. 81) et Schlie (p. 139) suspicarentur, primus quod sciam Ribbeck ad Euripidem, cuius tragœdia per Accium poetam Romanum operariis Etruscis cognita esset, pertinere suo iure demonstravit. Illis in imaginibus Philocteta ante antrum stans arcumque et sagittas manu tenens videtur; cum duobus iuuenibus, quorum alter pileo Phrygio depictus est, colloquitur; ab altera parte Ulixes procedit ut illum ne Trojanos quorum navis in extrema imagine aspicitur sequatur, impediatur. Itaque Trojanis procedentibus arma in manibus Philoctetae fuisse argumentis gravissimis demonstratur. Neque vero probabile est, id quod Neumann coniecit, Philoctetam armis illum quidem privatum esse, sed priusquam Phryges procederent ea recuperavisse. Ita Sophocles, qui Neoptolemum arma Philoctetae reddentem fecit, rem instituit; Euripidem eadem ratione usum esse nego, nisi forte Ulixem virum versutissimum et callidissimum ea neglegentia fuisse putas.

Id vero ad fabulam restituendam multum valere puto. Eum actum, quo Euripides Trojanos et Ulixem apud Philoctetam verbis certantes fecit, in fine ipso fabulae non fuisse intellegitur. Neque vero minus probabile legatos Trojanos parodo chori acta statim in scenam productos esse. Etenim is actus, quo summam suam dicendi vim Euripidem præ se tulisse manifestum est, certo continuuit eam partem tragœdiae, qua efficitur illa fortunarum commutatio quam peripetiam Graeci vocant. Quam peripetiam neque in primo neque in extremo fabulae actu fuisse constat. Itaque inter parodum chori eumque actum, quo Troiani processerunt, aliam quandam partem tragœdiae interiectam fuisse credendum est; quae quidem ea pars fuerit iis quae nobis sunt subsidiis demonstrari non potest; Actorem in ea productum esse verisimile est. Concedere igitur debemus nos eam partem fabulae Euripideae, quae post parodum chori acta est, restituere non posse neque nisi de exitu fabulae quicquam proferri licere.

Neque tamen de exitu fabulae omnia manifesta sunt. Quaeritur enim utrum Ulixes, cum apud Philoctetam communem rem Graecorum contra barbaros defenderet, nomen professus sit necne. Quod mihi quidem non probatur; etenim si Philocteta in prologo profitentem Graecum se esse subinde sagittis se perfossorum esse minatus est, nonne etiam maiore ira eum inflammari verisimile est, cum ipsum Ulixem coram videt? Immo vel ea re Ulixes eum induxisse videtur ut Trojanos repudiaret, quod ipse cum Atridis et Ulixi inimicissimum se esse professus esset tamen communem Graecorum rem contra barbaros defendit. Priusquam vero quis esset pronuntiaret armis Philoctetam privavit.

Qua ratione sagittis et arcu potitus sit certis argumentis demonstrari non potest, quamquam plerique interpretes etiam in Euripidis fabula Philoctetam morbi impetu correptum esse cum ex fragmento 792 supra laudato tum ex imaginibus quibusdam urnarum Etruscarum³⁸ intellegi putaverunt. Versum illum non satis valere, cum apte prologo tribueretur, supra dixi, neque Dionis verbis his³⁹: *αὐτὸς τε οὐχ ἡδὺς συγγενέσθαι, ὅταν η ὁδίνη προσπέσῃ* certo demonstrari eam rationem ab Euripide adhibitam esse puto. Illarum autem imaginum una tantum in parte (6 et 7) videmus Philoctetam ante antrum in saxo sedentem, cuius pedem alterum fascia alligatum Ulixes manu tenet, ut Diomedes a tergo accedens arcum et pharetram, quae lapidi acclinata est, impedito illi eripere possit. Ea ratio magis ad drama satyricum

³⁷ Brunn, I reliefi delle urne Etrusche tav. 69–70, 1–3; Schlie, Die Darstellung des troischen Sagenkreises auf etruskischen Aschenküsten 139 ssq.; Ribbeck I. I. 396.

³⁸ Brunn I. I. tav. 71–72, 4–7; Schlie I. I. 134 ssq.; Ribbeck I. I. 395; Neumann I. I. 15.

³⁹ or. 59 in fine.

quam ad tragoidiam quadrare videtur neque multum proficit quod Wecklein⁴⁰ scripsit: Allein der Raub ging offenbar nicht vor den Augen der Zuschauer vor sich, sondern wurde von dem aus der Grotte tretenden Diomedes erzählt. In imaginibus alterius partis nr. 1 – 2 eadem ratione Philoctetam ante antrum sedentem videmus in lapide, cui arma acclinata sunt; ante eum stat galero quem in capite habet et barba et specie insignis Ulixes, ad quem graviter loquentem non solum aures sed etiam mentem admovet, ut Diomedes altera a parte accedens nihil opinantem armis privare possit. Utra earum imaginum series ad Philoctetam Euripidis spectet cum certo demonstrari non possit, neglegendas eas esse censeo neque quicquam aliud ex iis, quae nobis adiumenta sunt, intellegi contendo nisi Philoctetam, priusquam Ulixes nomen profiteretur, aliqua ratione armis privatum esse.

Quoniam de plurimis fabulae Euripideae actibus nihil certi pronuntiari posse confirmavi, tamen qui exitus tragediae fuerit aliqua cum probabilitate demonstratur. Prodierunt in scenam legati Troiani, quorum principem Paridem ipsum fuisse Hartung probabiliter coniecit, et Philoctetam sibi conciliare studuerunt. Paris cum se ipsum auctorem belli Philoctetaeque malorum professus esset, eum oravit et obsecravit ne id sibi culpae daret; venisse se a Troianis missum ut scelus expiatet et ab illo petere ut Troiam se sequeretur; vaticinium editum esse futurum non esse ut Troia caperetur, nisi Graeci illum cum armis Herculis arcessivissent; videret ne in manus eorum incideret, qui omnis misericordiae expertes Lemni illum reliquissent; immo cum Troianis se conciliaret, ut et Graecos pro iniuria accepta ulciseretur et cum honore Troiac viveret; magna praemia Phryges illi si obsequeretur et urbem ab interitu defendeter promittere ipsumque urbis imperium offerre; ne dubitaret se sequi neve tanta dona ultiro oblata aspernaretur, cum ne deos quidem lucra facere pudere manifestum esset (frgm. 794):

ὅτες δέ γάρ τοι θεοῖς καὶ θεοῖς περιθίνει φίλον,
θαυμάζεται δόξα πλείστον ἐν ναοῖς ἔχων
χονόν. τι δῆτα καὶ σὲ καλένει λαβεῖν
ζέρδος, παρόν γε καζομοιοῦσθαι θεοῖς.

Tantis pollicitationibus quin Philocteta, quo erat odio cum Graecorum tum Atridarum et Ulixis, commotus sit ut Paridem se secuturum esse promitteret non est quod dubitemus; iamque in eo erat ut cum Troianis ad navem descenderet, cum Ulixes veritus ne labores sui ad iritum caderent intercessit et cum non suam sed omnium Graecorum rem contra barbaros se agere profiteretur, his verbis coepit (frgm. 796 et 797):

ὑπέρ γε μέντοι παντὸς Ἑλλήνον στρατοῦ
ἀλογὸν σιωπάν, βαρβάρον δέαν λέγειν.
λέσσο δέγω, καὶ μου διαφθεῖσαι δοκήσ
λόγονς ἐποστὰς αὐτὸς ἡδισηχέναι.
ἄλλος εἰς ἔμοι γὰρ πράγματ' αὐτὸς εἴη κλίσιον,
οὐδὲ αὐτὸς αὐτὸν ἐμφανίζεται λέγον.⁴¹

„Ich will reden, obwohl er mir den Hauptstoff der Entgegnung durch das eigene Geständnis seiner Schuld vorweg genommen hat; aber während der über seine Person zu sprechen hat, werde ich nur Tatsachen darlegen.“ Miratus sane est Philocteta, quod is, qui paulo ante inimicissimum Graecorum se professus erat, Graecorum rem contra barbaros defendit. Neque vero dubium est quin postremo Ulixi contigerit, ut erat Graecorum eloquentissimus et callidissimus, ut Philoctetam de Graeci adversus Graecos officio admonitum commoveret ne Trojanos sequeretur. Fortasse Philocteta, cum vaticinium quo Graeci ad aram Chrysae deae immolare iussi erant meminisset, vaticiniis fidem nullam se habere his verbis dixit (frgm. 795):

τι δῆτα θάκοις μαντικοῖς ἐνήμενοι
σαρῶς διόμυνοθ' εἰδέναι τὰ δαιμόνια;
οὐ τῶνδε χειρούνακτες ἄρθρωποι λόγον.
οὔτις γὰρ αὐχέν θεῶν ἐπίστασθαι πέρι
οὐδέν τι μᾶλλον εἶδεν η̄ πείθειν λέγον.

Infecta igitur re Troiani abierunt.

Ulixes postquam consilia Troianorum vana reddidit omnes nervos contendit, ut Philoctetam secum in castra Graecorum abduceret. Itaque chori stasimo interposito Diomedem mercatoris veste indutum

⁴⁰ Sitz.-Ber. 138.

⁴¹ Fragmenti 797 verba perperam tradita sagacissime correcti et interpretatus est Wecklein, Sitz. Ber. 131 sq.

prodisse puto; cui facile Ulixes persuasit consilio antea communicato, ut se et Philoctetam domum reduceret. Priusquam vero ad navem descenderent aliqua ratione iis contigit, ut armis Philoctetae potirentur. Tum Ulixes cum odium illius iam non timeret novo consilio capto Philoctetae quis esset et qua de causa Lemnum venisset persona detracta aperuit et oravit obsecravitque, ne odium perpetuum retineret, sed cum Graecis in gratiam rediret et patriam contra barbaros defenderet (frgm. 799 et 798):

ὅπερ δὲ θυητὸν καὶ τὸ σῶμα ἡμῖν ἔστι,
οὗτος προσίκει μῆδε τὴν ὁργὴν ἔχει
ἀθάνατος, ὃς τις σωφρονεῖν ἐπίσταται.
πατρὶς καλὸς πρόσσοντα τὸν τυχόντ’ ἀεί^τ
μετ’ ω τίθησι, δυντυχοῦσα δ’ ἀσθενῆ.

Denique Philocteta cum gravibus verbis Ulixis commotus et choro adhortante ne Graecis deesset tum summa cupiditate pugnandi inflammatus et sperans fore ut morbo sanato in patriam reverteretur victus est et cum Ulike et Diomede ad navem descendit. Deum quendam intercedentem Euripidem fecisse verisimile non est, quin etiam Dio contra dicere videtur, qui cum apud Sophoclem nisi Hercule interveniente Philoctetam commotum non esse diceret ut cum Graecis animum reconciliaret, talem exitum fabulae Euripideae fuisse non commemoravit. Sub finem fabulae haec a Lemniis dicta esse videntur (frgm. 800):

φεῦ, μήποτ’ εἴηρ ἄλλο πλήρες φίλος
ώς πᾶν τελοῦσιν, καὶ βραδίνωσιν, χρόνος.

Quoniam quidquid potest probari de Euripidis Philocteta protuli fieri posse, ut eius tragedia omni a parte restituatur nego; singulorum quidem actuum qui gradus et quasi processus actionis fuerit aliqua cum probabilitate efficias, tamen in his quoque actibus multa inveniuntur, quae admodum dubia sunt et erunt. Id eo magis dolemus quod Euripidis Philocteta summa Dionis Chrysostomi admiratio excitata est, cuius rhetoris declamatione plane demonstratur eam tragediam in perfectissimis poetae fabulis numerandam esse.

De Accii Philocteta.

Tragicorum poetarum Romanorum unus Accius, qui A. Hostilio Mancino A. Atilio Serrano consulibus Pisauri natus usque ad summam senectutem in summo apud Romanos honore erat, Philoctetam in scenam produxit. Quem argumentum fabulae non ipsum invenisse, sed more poetarum scenicorum Romanorum ad Graecorum exemplum quoddam redisse cum inter omnes constet, cuius exemplum potissimum secutus sit quaeritur. Qua de re cum omnes fere, qui fabulis Aeschylei et Euripidis restituendis operam dederunt, inquisiverint maximus dissensus est. Hermann⁴² et Welcker Accium in tragedia componenda Aeschylum secutum esse putaverunt. Contra Hartung Euripidis Philoctetam unum fontem Accio fuisse suspicatus est. Petersen poetam Romanum et Aeschylum et Sophoclem et Euripidem adhibuisse eorumque tragedias contaminavisse propriaque inventa addidisse demonstrare conatus est. Quocum ex parte quidem Ribbeck⁴³ consensit cum scripsit: Dass er sich Aeschylus vorzugsweise angeschlossen hat, hat nicht überzeugend bewiesen werden können. Von überwiegender Nachahmung des Sophokles kann auch bei flüchtiger Vergleichung nicht die Rede sein. Nachweisen lässt sich am besten, wo er in die Fusstapfen des Euripides getreten ist. Ihm scheint er wirklich in der Gesamtanlage und vielfach auch in Einzelheiten gefolgt zu sein. Idem alio loco scripsit:⁴⁴ „In Philocteta quid ex quoque poeta non adsumperit Attius facilius licet discernere quam aliqua cum probabilitate efficias quod potissimum exemplum secutus sit.“ Accium potius Euripidis tragediam imitatum esse quam Aeschylum Wecklein et Neumann probaverunt. Eodem vero anno, quo Neumann's dissertation typis expressa est, Bloch⁴⁵ omnibus fragmentis fabulae Acciana collatis eius Philoctetam ex una Sophoclis fabula latine versam esse summo studio contendit.

Quae quaestio cum minime disceptata esset neque unquam de ea consensum virorum doctorum fore verisimile esset, in fabulis Aeschylei Euripidisque restituendis Accii Philoctetam neglegendam esse censui idque eo magis quod de ipsa tragedia permulta incerta sunt neque qui processus qui dicitur

⁴² cf. praef. ad Soph. Phil.

⁴³ I. I. 377; cf. Geschichte der römischen Dichtung I, 179.

⁴⁴ Trag. Rom. reliqu. 308.

⁴⁵ Sopra il Filottete di Accio in Studi italiani di filologia classica 1893, I, 97 ssq.

actionis fuerit neque quibus personis Accius usus sit nisi conicere non licet. Tamen non inutile esse puto denuo ad eam quaestionem, quae de Philocteta Accii est, accedere et quae ex singulis fragmentis concludant tractare. Servata sunt ex ea tragœdia apud nonnullos scriptores fragmenta XXII collecta a Ribbeck, quibus ex incertis tragicorum Romanorum fragmentis tria Hartung adiecit, quae omittenda censeo.

In principio fabulae Accianae hos versus fuisse Appuleius in libro qui inscribitur De deo Socratis cap. 24 testis est (frgm. I):

Include, parva prodite patria,
nomine celebri claroque potens
pectore, Achivis classibus auctor,
gravis Dardaniis gentibus ulti,
Laetia!

Lacriade.

His versibus Ulixem a comite quodam appellari cum manifestum esset Hermann, cuius sententiae subscriptis Welcker, Minervam cum illo prodisse Ulixem de loci natura certiorem reddentem et ad id quod agendum esset adhortantem coniecit. Contra disseruit Ribbeck (I. l. 378) iure monens talibus verbis deam virum mortalem non apte alloqui; verba igitur nautis Ulixis tribuit, ex quibus chorum fabulae compositum fuisse suspicatus est. Neumann ea verba Diomedem, Bloch Neoptolemum una cum Ulike prodeuntem dixisse putaverunt.

Quaerere cui illi versus tribuendi sint inutile esse mihi videtur, cum nulla sententia argumentis certis probetur omniaque arbitrio singulorum interpretum permissa sint. Comparantibus vero eos versus, quos primos fabulae Accianae fuisse Appuleius testis gravis est cum tragicorum Graecorum exemplis concedendum est eodem principio fabulae nullum eorum usum esse: apud Aeschylum chorum parodum egisse in tragoeiae initio supra demonstravi, Euripidem Ulixem solum procedentem fecisse ex Dionis oratione 59 intellegitur, in prologo fabulae Sophocleae Ulixem loca, quibus Philoctetam reliquerit, explorare Neoptolemum iubere notum est. Quod ad quaestionem quae extat diiudicandam plurimum valere puto: Accium in Philocteta componenda alio principio fabulae atque illos principes tragicorum Graecorum usum esse appetet; ergo non ubique eius poetae Graeci exemplum quod latine transtulit eum secutum esse concedimus, sed aut propria inventa addidisse aut alias cuiusdam tragicorum Graeci exemplum vertisse, de cuius tragoeidea nihil memoriae traditum est. Quis vero in principio fabulae Accianae iis verbis Ulixem allocutus sit demonstrari nullo modo potest.

Quoniam hoc fragmento Accium exemplum Graecum quod secutus est non ad verbum vertisse docemur, alia fragmenta extant quae talia sunt, ut non ad certum quempiam tragicorum spectare videantur, sed sive ex Aeschylo sive ex Euripide sive ex Sophocle ea sumpta esse contendere possis. Haec fragmenta ad quaestionem quae est de fonte fabulae Accianae diiudicandam nihil valere nemo negabit. In iis ponendum est frgm. XII:

e viperino morsu venae viscerum
veneno imbutae taetros cruciatus cient;

quod Bloch cum versibus Sophocleis 265 ssq. comparat.

νόσῳ καταρθίνοντα, τῆς ἀνδροφθόρου πληγέντ' ἐγίδης ἄγοις γεράγυατι.

Neque vere minus apte ii versus Acciani Aeschylo vel Euripidi ascribuntur, apud quos morbi sui mentionem fecisse Philoctetam manifestum est. Similiter fragmenta Acciana IX. X. XI.

reciproca tendens nervo equino concita
tela . . . ;
. . . pinnigerō, non armigero in corpore
tela exercentur haec abiecta gloria;
. . . in tecto umido
quod eiulatu questu gemitu fremitibus
resonando mutum flebiles voces refert.

quibus miserias suas lamentatus esse Philocteta videtur, ex cuiusvis illorum poetarum Graecorum tragœdia ab Accio assumpta esse quispiam confirmaverit. Philocetam et apud Aeschylum et Euripidem et Sophoclem (v. 220 ssq.) sive ex Ulyse sive ex Neoptolemo quaesivisse quis esset consentaneum est; similis allocutione Accium usum esse docemur frgm. XIII:

quis tu es mortalis, qui in deserta et tesca te adportes loca?

Neque minus apte frgm. XIV et XV:

quod te obsecro, aspernabilem
ne haec taetritudo mea me inculta faxit;
contempla hanc sedem, in qua ego novem hiemes saxo stratus pertuli

cuilibet illorum tragicorum ascripseris. Quod Accius Philoctetam vehementissimis doloribus coripi fecit, id quod ex fragmento XIX intellegitur:

heu! qui salsis fluctibus mandet
me ex sublimo vertice saxi?
iamiam absumor: conficit animam
vis vulneris, ulceris aestus,

idem argumentum et ab Aeschylo et a Sophocle et fortasse ab Euripide adhibitum esse repperit. Haec igitur fragmenta omnia ad eam quaestionem, quae est de Accii poetae fonte, dijudicandam nihil valent, quippe quae probabilitate non minore Aeschylo quam Euripidi aut Sophocli vindices.

At fragmenta quedam sunt, quae ad unius tragici Graeci exemplum spectare verisimile est. Ea verba, quibus loca insulae Lemni describuntur et sacra historia celebratur, cum iis neque Euripidis neque Sophoclis in fabulis locus idoneus esset neque Accium ipsum eam Lemni descriptionem invenisse probaretur, ex Aeschyli Philocteta a poeta Romano assumpta esse supra commemorari. Tales excursiones, quae ad geographiam pertinent, saepius in fabulis Aeschyleis reperiri satis notum est. Quod eos versus fragmenti II anapaesticos aptissime choro Lemniorum parodum agenti attribui supra proposui, inde minime coniecerim eodem modo apud Accium a Lemniis ea verba pronuntiata esse. Nam praeterquam quod de choro fabulae Accianaee nihil traditum est, Bloch Lemnios sacram patriae historiam enarrantes vocabulis illis „dicitur, dictus, cluet“ apte uti suo iure negavit. Utrum vero iis versibus comites suos de insulae locis Neptoleum certiores fecisse Bloch recte coniecerit an Ulixes, id quod Ribbeck probavit, terrarum omnium cum perissimum esset Diomedi comiti insulae regiones descripsit et mythos enarraverit discerni non potest. Eam insulae descriptionem ex Aeschyli fabula ab Accio assumptam esse cum clare et evidenter ostendatur, tamen quem eos versus pronuntiantem poeta Romanus fecerit minime constat. Ad Aesylum haud scio an spectet etiam fragmentum XVI:

heu Mulciber

arma ignavo es invicta fabricatus manu,
quibus verbis Philoctetam, cum Ulixes de rebus ad Troiam gestis verba faceret, questum esse probatur,
quod arma Achillis a Vulcano facta a Graecis Ulixi addicta essent.

Summa controversia est de fragmento V:

configit tardus celeris, stans volatilis;
pro veste pinnis membra textis contingit.

His verbis quo victu et vestitu Philoctetes uteretur Ulixem a Minerva certiore factum esse Hermann et Welcker cum putarent, Bloch versibus Sophocleis 164 ssq. collatis comites suos de Philocteta Neoptoleum docuisse suspicatus est; Ribbeck, cuius sententiae Neumann subscripsit, Ulixem priusquam cum Philocteta conveniret ab indigena quodam quaevisse affirmavit quae eius vitae consuetudo esset. Cum neque deum quandam in fabulae Accianaee principio processisse neque a quo Neoptolemus de Philoctetae vitae conditionibus eruditus sit intellegatur neque apte ea verba cum Sophoclis versibus comparentur, ea quam Ribbeck proposuit interpretatio proxima vero esse videtur. Neque enim de Philocteta adeo expresse dicere potuit nisi is, qui consuetudine adhibita qua ille ratione vitam degeret pernoverat. Quin is Actor ille Lemnus ab Euripide inventus fuerit non est quod dubitemus. Quod pro Actore, quem Hyginus fab. 102 regem Lemniorum nominat, eius pastorem nomine Iphimachum ab Accio inductum esse Ribbeck putavit, ea nominum varietas nullius momenti est. Id sane intellegitur Ulixem, priusquam cum Philocteta ipso conveniret, a Lemnio quodem de eius consuetudine vivendi certiore factum esse neque quicquam obstat quominus illi colloquio aliquot attribuamus; quorum III:

ubit habet? urbe agrone?

aptissime Ulixi datur. Lemnum antro monstrato Ulixem, qui se suaque consilia ei aperuerat, praemonuisse verisimile est ne Philoctetae summo odio inflammato appropinquaret, quo spectant frgm. IV et VII:

quem neque tueri contra neque fari queas;
..... cui potestas si detur, tua
cupienter malis membra diserpcat suis.

Ulixem vero cum quantum Philoctetae odium contra se esset intellectisset haec respondisse (frgm. VI):

contra est eundum cautim et captandum mihi.

Ea interpretatio si recta est, ab Accio unam ex personis fabulae Euripideae adhibitam esse cognoscitur; at tamen poeta Romanus alium ordinem rerum instituit atque Euripides. Hic in prima parte tragœdiae Philoctetam cum Ulyce convenientem fecit, ille priusquam antagonistæ ipsi congrederentur Ulixem ab indigena quodam de Philoctetae victu et mente instrui fecit.

Num Accius, cum sive Actore sive Iphimacho personis usus sit, etiam ceteras fabulae Euripideae personas exhibuerit certis argumentis non demonstratur, quamquam etiam apud eum legatos Phrygios inductos esse verisimile est. Phryges in scenam prodisse cum Ribbeckio et Neumannno haud coniecerim ex fragmentis XVII et XVIII:

ipsam Frygiam mitiorem esse aio immanni Graecia.

Pari dyspari, dispar si esses tibi, ego nunc non essem miser.⁴⁶

Iure enim Bloch monuit Philoctetam querentem, quod a Graecis Lemni expositus esset, Phryges barbaros tantam iniuriam in ipsum quantam Graecos commissuros fuisse iis verbis usum negavisse. Eam vero fidem Blochio non habeo ut fragmenti XVIII verba imitationem manifestam⁴⁷ versus Sophocleae tragœdiae 1426

Ιάσον μέν, ὃς τῶνδε αἰτίως κακοῦ ἔγει

esse concedam. Ut Accium legatis Trojanorum usum exemplum Euripidis secutum esse probarem, commotus non sum nisi illarum urnarum Etruscarum imaginibus caelatis; etenim cum artifices Etruscos imaginum argumenta ex aliqua tragœdia sumpsisse appareat, iis non Euripidis ipsius fabulam, sed Accii Philoctetam exemplo fuisse verisimile est, quorum uterque Phrygios legatos prodeuntes fecit.

Quodsi et Actorem et legatos Troianos ab Euripide inventos ab Accio exhibitos esse arbitrari nobis licet, num etiam Diomedem comitem Ulixi Euripidis exemplum secutus Accius dederit in medio relinquendum est, cuius rei argumenta certa nusquam extant. Neque quis chorus fabulae Accianaæ fuerit apparent neque quo modo ad finem perducta sit fabula constat. Sub finem fabulae cum ad navem Graecos Philoctetam secutum esse ex fragmento XXI intellegatur:

agite ac vulnus ne succusset gradus caute ingredimini,
utrum ille verbis gravibus Ulixis commotus sit, ut cum Graecis in gratiam rediret, an deus intercedens
eum ira dimissa Troiam proficiisci iusserit ignoramus. Primo quidem ne cum Ulyce animum conciliaret
recusavisse videtur, id quod concluseris ex fragmento XX:

sub axe posita ad stellas septem, unde horrifer
aquilonis stridor gelidas molitur nives.

Quae cum diceret pronuntiavit malle se in extrema orbis terrarum parte vivere quam in castra Graecorum redire. Herculem intercessisse, id quod Ribbeck suspicatus est, pro certo affirmavit Bloch, cum fragmentum XVII incertarum Accii fabularum arcessitum:

Ego cui in monte Oetaeo inlatae lampades
fuere, perveni in domum aeterni patris
cum versibus Sophocleis 1418 ssq. conferret:

*καὶ ποδῶν μέν σοι τὰς ἡμάς λέξω τύχας
ὅσους πονήσας καὶ διεξελθὼν πόνους
ἀθάρατον ἀρετὴν ζοχον, ως πάρεσθ' ὄρον.*

Tamen certa opinionis argumenta non protulit.

Quae cum ita sint, concedendum nobis est fieri non posse, ut cuius poetae tragici Graeci exemplum Accius secutus sit demonstremus. Singula illa quidem fragmenta fabulae Accianaæ ad unum alterumve illorum spectare aliqua cum probabilitate conicere possumus, sed tamen plurima fragmenta passim servata viliora sunt quam ut argumenta satis valida ex iis ducere liceat. Accium ad fabulam unius ex principibus tragicis Graecis praecipue se adiunxisse cum nullo modo probetur, quid ex quoque eorum in Philocteta non assumpserit facilius licet discernere quam aliqua cum probabilitate efficere quod potissimum exemplum secutus sit. Utrum vero Accius ipse Philoctetaes fabulas contaminaverit an a Graeco quodam poeta contaminatas reppererit, id quod probabilius est, cum poetae Romani negotium contaminandi non saepe subisse videantur, in medio relinquendum est. Neque Aeschylum neque Euripidem neque Sophoclem unicum eius fontem fuisse cum constet, Accianam Philoctetam in illorum fabulis restituendis adhibendam esse nego. Ipsam Accii tragœdiam restituere mihi in animo non est; quae de ea proferri possunt, ea Neumann (l. l. 33 ssq.) protulit.

⁴⁶ Hanc lectionem versus perperam traditi probavit Ribbeck, Röm. Trag. 393.

⁴⁷ l. l. 100: imitazione manifesta d'un verso sofocleo, sebbene esistente in un'altra parte del drama.

© The Tiffen Company, 2007



Ea interpretatio si recta est, ab Accio etiam tamquam inimico Philoctetam cum Ulixe convenienter indigena quodam de Philoctetae

Num Accius, cum sive ipsas personas exhibuerit certis argumentis inductos esse verisimile est. Ph

ex fragmentis XVII et XVIII:

ipsas personas. Parte

lure enim Bloch monuit Philoctetam iniuriam in ipsum quantum ad Blochio non habeo ut fragmenti

esse concedam. Ut Accium legamus non sum nisi illarum ut imaginum argumenta ex aliqua tamen Philoctetam exemplo fuisse verisimile.

Quodsi et Actorem et legatum licet, num etiam Diomedem comitem est, cuius rei argumenta certa non modo ad finem perducta sit secutum esse ex fragmento XXI

agit utrum ille verbis gravibus Ulixis eum ira dimissa Troiam proficisci recusavisse videtur, id quod conciliari sub aqua

Quae cum diceret pronuntiavit in redire. Herculem intercessisse, iocum XVII incertarum Accii fabula.

Ego fuerit cum versibus Sophocleis 1418 ss.

zai
ēgo
āgo

Tamen certa opinionis argumenta

Quae cum ita sint, concebat Accius secutus sit demonstremus illorum spectare aliqua cum probabunt quam ut argumenta satis valent Graecis praecipue se adiunxisse sumpserit facilius licet discernere sit. Utrum vero Accius ipse Philoctetum reppererit, id quod probabilius est in medio relinquendum est. Ne fuisse cum constet, Accianam Philoctetam restituere mihi in anima

⁴⁶ Hanc lectionem versus p. 1. l. 100: imitazione man-

ius poetae tragici Graeci exemplum illae Accianae ad unum alterumve ima fragmenta passim servata viliora ulam unius ex principibus tragicis quoque eorum in Philocteta non asquod potissimum exemplum secutus Graeco quodam poeta contaminatas inandi non saepe subisse videantur, e Sophoclem unicum eius fontem libendam esse nego. Ipsam Accii ea Neumann (l. l. 33 ssq.) protulit.

g. 393.
in un'altra parte del drama.

deae adhibitam esse cognoscitur; s. Hic in prima parte tragediae ipsi congrederentur Ulixem ab

, etiam ceteras fabulae Euripideae tiam apud eum legatos Phrygios o et Neumanno haud coniecerim

Graecia.

non essem miser.⁴⁶ expositus esset, Phryges barbaros usum negavisse. Eam vero fidem versus Sophocleae tragediae 1426

idis secutum esse probarem, com- s; etenim cum artifices Etruscos uripidis ipsius fabulam, sed Accii atos prodeentes fecit.

Accio exhibitos esse arbitrari nobis rius dederit in medio relinquendum iliae Accianae fuerit appareat neque m ad navem Graecos Philoctetam

ingredimini, ttiam rediret, an deus intercedens ne cum Ulixe animum conciliaret

trifer

vivere quam in castra Graecorum to affirmavit Bloch, cum fragmen-

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;

;